

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum

Rhetoricae animadversiones. De confutatione.

Disputationes philosophicae Modernistam inter et Thomistam.
De iudicio practico penitus inquiritur; seu de iudicio consilii et de iudicio executionis.

Horae subsecivae. I. Aristaeus. — II. Mooreani carminis « The last rose of summer » adumbratio.

Stili lapidarii elem. nta. — De inscriptionibus sacris.

A Mexico ad Angliam.

Colloquia latina. Ascensus.

Ex Italis urbibus. De iudicis gymnicis Augustae Taurinorum.

Acta Pontificia. Litterae Apostolicae ad Pontificis Institutii Bibliici praesidem et doctores de studiorum cursu in eodem Instituto confirmando ac provehendo.

index:

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. — Ex Congregatione Indicis. — Ex Congregatione S. Officii (Sectio de Indulgentis). — Ex Congregatione Rituum.

Diarium Vaticanum.

Annales: Mauritanie res. — Albanensis seditio.

Publici per orbem coetus legibus ferendis.

Per orbem.

Ioci.

Sociis et lectoribus monitum.

Aenigmata.

Appendix: Euplius.

RHETORICAE ANIMADVERSIONES

De confutatione.

Pervolventi mihi et commentanti librum illum « Orator » quem Iunio Bruto Cicero dicavit, summam eloquentiam attingere videbar, quum post tria illa quae Aristoteli placuit ῥῆσις, παρέλεξις et λόγος nominare, strictim a Tullio pertractata, omnia quae ad optimum oratorem informandum longa informatione enucleata percurri. Tum tanta rerum copia commotus, quasi formam quandam oratoris in mente effingere coepi; deinde vero quo eum maiorem ac nobiliorem, doctore Tullio, feceram, eo me maior exspectatio tenebat, quibusnam orationibus, quibusve praeceptis, ea tanta vis compararetur. Quum autem istam uno cognoscendi studio ad ductus, acquirerem, sententiam quamdam, in rhetorica ad Herennium mihi quandam praelectam, in memoriam revocavi; quae ita se habet: (1) « totam spem vincendi rationemque persuadendi positam esse in confirmatione et confutatione ». Ex his vero duabus orationis partibus mihi a confutatione incipiendum decrevi. Quem ad modum enim in terra fieri solet, ut non antea in ea semina ad capiendos fructus inserantur, quam inutiles herbae et nocivae radicitus tolluntur, sic argumentationis vitiis penitus perspectis, et omni labore detracto, via patet reliquae orationi. Atque id eo magis mihi est persuasum quod, auctore Cornificio: (2) « haec cognitio vitiosarum argumentationum duplarem utilitatem afferet; nam et vitare in argumentatione vitium admonebit, et ab aliis non vitatum commode reprehendere docebit ». Quod quidem postremum est maxime aestimandum, quum omnes vias, quibus fallaciae et captiones adversariorum retexantur, aperiat. His igitur rebus per-

pensis, confutationem evolvendam ac tractandam suscepimus.

* *

Ac primo quidem quis dubitet quantam vim oratoribus attulerit confutandi facultas? Ego vero quoties viros eloquentes admiror, non tam copia doctrinae et elocutionis forma, quam ipsa acie argumentationum et animorum pertractatione commoveor. Disertus vere sit Cicero, eruditissima rhetorices et philosophiae praecepta tradens, et maximam eloquentiae laudem sibi vindicans; ornatissimus profecto legem Manilii suadens, in qua summa reipublicae salus agebatur; amplissimus magna Quiritium frequentia circumdatus, crebris plausibus et clamoribus eum ab exilio reducem excipiente: sed nunquam, mea sententia, nobilior, quam quum, nullo audente, dictatoris voluntati resistens, Roscium filium tot adversarios perfringens defendit.

Utinam sacri nostri concionatores illa essent ratione confutandi praediti, ut verissimam causam, cui catholici servimus, omni laude ac dignitate defendere ac tueri possent! Fuit tempus illud quum uno Pontificis nutu frequentes in templo populi cogerentur; qui etsi nefaria sclera suscepissent, atque inusti vitiis aliquando fuissent, raro tamen a catholica fide deficiebant. Nunc vero quum tot errores in profanis coetibus ab improbissimis viris decantentur totque doli in plurimorum scriptis detegantur, incredibili dexteritate indigemus, ut pravas adversariorum artes explicemus. Quare hodie vel maxime nostris argumentationibus est plane accommodatum praeceptum, de enthymemate ab Aristotele traditum: « illud scilicet magis praestare quo refellatur, quam illud quo probetur ». (1)

Omni igitur industria in confutatione conficienda est elaborandum. Atqui non facilis est, huius ratio com-

(1) Lib. I., cap. XI. — (2) Lib. I., cap. XI.

(1) Lib. III, cap. XVII.

parandae nec in promptu omnino posita. Liceat hic audire Quinctilianum : (1) « Non sine causa (tamen) difficultius semper est creditum, quod Cicero saepe testatur, defendere quam accusare. Primum quod est res illa simplicior; proponitur enim uno modo, dissolvitur varie quum accusatori satis sit plerumque, verum esse id, quod obiecerit: patronus neget, defendat, transferat, excusat, deprecetur, molliat, minuat, avertat, despiciat, derideat. Quare inde recta ferē, atque, ut sic dixerim, clamosa est actio: hinc mille flexus et artes desiderantur.

Tum accusator praemeditata pleraque domo affert, patronus etiam inopinatis frequenter oecurrit. Accusator dat testem, patronus ex re ipsa refellit. Accusator eriminum invidia, vel si falsa sint, materiam dicendi trahit, de parricidio, sacrilegio, maiestate, quae patrono tantum neganda sunt. Ideoque accusationibus etiam mediocres in dicendo suffecerunt; bonus defensor nemo nisi qui eloquentissimus fuit. Quamquam ut, quod sentio, semel finiam, tanto est accusare quam defendere, quanto facere quam sanare vulnera facilis ».

* *

Hactenus de necessitate confutationis, de eiusque difficultate diximus; iam ad ipsam veniamus. Quae autem explanabimus, his quinque capitibus completemur: *quae sit, quando, quomodo et ubi adhibenda, quotuplex* denique eius ratio.

Confutatio a Kleutgen ita definitur; (2) « Pars orationis, in qua contrariae rationes refelluntur ». De ea vero auctor ad Herennium (3): « Confutatio est contrariorum locorum dissolutio ». Quae quidem « reprehensio » a Tullio saepissime appellata, ita ab illo in inventione rhetorica est circumscripta: (4) « reprehensio est per quam argumentando adversariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut allevatur ». Omnes autem definitiones eodem convertuntur.

Haec vero quando erit adhibenda? Non semper, ut ait praefatus Kleutgen, ea utemur (5): « Saepe enim per ea ipsa, quibus nostrum propositum confirmatur, argumenta adversa diluuntur; aut haec ignota sunt audientibus vel certe eos parum commovent. Quod quum acciderit, eo magis refutatione supersedendum, si quae opponuntur, infirmari non possint nisi refutatione subtili vel auditori ignota. Interdum contra refutatio non necessaria, utilis tamen fuerit sive ad causam explicandam, sive ad eluendam adversariorum fidem et auctoritatem ». Illud tantum his adiunctum velim, veram esse confutationem in iis argumentis positam, quae in confirmatione continentur et quibus adversariorum proposita dissolvuntur aut debilitantur, etiamsi non seiuneto in loco adhibitis.

Consilii igitur erit, utrum adversariorum tela declinanda esse videantur. In ipsa autem reprehendendi ratione peccare nonnumquam facile erit. Nam magna

cautio necessaria est, si quando ipse auditor reprehendi debet. Itaque appareat nos non libenter id facere; quae autem obiificantur errori potius, ignorantiae, casui, quam malignitati attribuantur. Quapropter non immerito Institutionum Oratoriarum scriptor haec praecepit: (1) Qui curationem bonorum patris postulabit, doleat eius valetudinem; et quamlibet gravia filio pater obiecturus, miserrimam sibi ostendet esse hanc ipsam necessitatem, nec hoc paucis modo verbis sed toto colore actionis, ut id eum non dicere modo, sed etiam vere dicere appareat. Nec causanti pupillo sic tutor irascatur unquam, ut non remaneant amoris vestigia et sacra quaedam patris eius memoria ».

Quum vero aeriter in auditores impetum facere cogitur orator, non parum iuvat ad amandandam invidiā, personam aliam inducere in orationem, quae cum auditoribus loquatur. Quam opinionem ab Aristotele video confirmatam (2): « Ad mores quod attinet, - inquit - quoniam nonnulla de se ipso praedicare vel insidiosum est, vel prolixum, vel obtrectationi obnoxium et de alio dicere vel convicium vel rusticitatem ostendit, opus est aliquem alterum qui haec dicat inducere, ut Isocrates fecit in oratione ad Philippum ».

Hac ratione uti non licebit aliquando; quod quidem evenit quum tota oratio in adversarium coniecta est. In eiusmodi concionibus, etiamsi aliquid pro iure nostro in auditores dicere teneamus, ne nimium argumentationes videantur acrimoniae habere, multis mitigationibus lenientur. Illic autem plus difficultatis, ubi ipsos contra quos dicimus veremur offendere. Iure ergo Quinctilianus Ciceronis calliditatem in causa pro Murena extollit, quod quum eius munus esset in Catonem et Sulpiciū sibi coniunctissimos invehī, eorum auctoritati nihil fere aliud, quam sales et facetias opposuerit, ita ut iudicium totum risu dissolveretur Catoque ipso subridens: « Dii boni, exclamaret, quam ridiculum consulem habemus! » Praestat ipsum M. Fabium audire: (3) « Due simul huiusmodi personae Ciceroni pro Murena dicenti obstiterunt, M. Catonis Serviisque Sulpicii. Quam decenter tamen Sulpicio, quum omnes concessisset virtutes, scientiam petendi consulatus ademit? Quid enim aliud esset, quo se victum homo nobilis et iuris antistes magis ferret? Ut vero rationem defensionis suae reddidit, quum se studuisse petitioni Sulpicii contra honorem Murenae non idem debere actioni contra caput, diceret? Quam molli autem articulo tractavit Catonem? cuius naturam summe admiratus, non ipsius vitio sed stoiae sectae quibusdam in rebus factam duriorem videri volebat, ut inter eos non forensem contentionem, sed studiosam disputationem crederes incidisse. Haec est profecto ratio, et certissimum praeceptorum genus illius viri observatio, ut, quum aliquid detrahere salva gratia velis, concedas alia omnia; in hoc solo vel minus peritum quam in ceteris, adiecta, si potuerit fieri, etiam

(1) Lib. V, cap. XIII. — (2) De dispositione cap. VI. — (3) Lib. I, cap. III, — (4) Lib. I, cap. XLII. — (5) De dispos., cap. VI.

(1) Lib. XI, cap. I. — (2) Lib. III, cap. XVII, § II. — (3) *Instit. orator.* lib. XI, cap. I.

causa, cur id ita sit, vel paulo pertinaciorem vel credulum vel iratum, vel impulsum ab aliis».

Hanc viam inivit Segnerius in oratione de iniuriis remittendis, auditoribus initio concedens sceleratissimos esse omnes eorum inimicos omniq[ue] poena mulcandos. Porro omnia quae de hac re tradi possunt una Quintilianus sententia complectar : (1) « Nunquam decebit sic adversus tales agere personas, quomodo contra nos agi ab hominibus conditionis eiusdem iniquo animo tulissemus ».

Quartum erat propositum, sedes ubi esset collocanda confutatio. Aristotelis iudicium consulamus (2).

« Oportet eum quidem — inquit, — qui in deliberatione vel in iudicio prior dicit, causam primo suam confirmare, deinde illis quae contra dici possunt, occurrere eaque dissolvere atque extenuare. Secundus vero in dicendo proferat primo quae sint in adversam partem, eius argumenta diluens et contrariis argumentis oppugnans, tum praecipue si illa benevole fuerint accepta; nam ut hominem multis criminibus accusatum respuit animus, eodem pacto orationem, si adversarius recte dixisse videatur ». Eamdem prorsus sententiam apud Quinetianum (3) et apud Ciceronem in partitionibus oratoriis licet reperire. In illo concinno dialogo Tullium patrem inter et filium hic sermo traditus est: (4) « c. f. Quid? in iudiciis, quae est collocatio? — c. p. Non eadēm accusatoris et rei; quod accusator verum ordinem prosequitur, et singula argumenta quasi hasta in manu collocata vehementer proponit, concludit aeriter, confirmat tabulis, decretis, testimoniis accuratiusque in singulis commoratur, perorationisque praecepsit, quae ad incitandos animos valent, et in reliqua oratione paululum degrediens de cursu dicendi, utitur et vehementius in perorando. Est enim propositum ut iratum efficiat iudicem. — c. f. Quid faciendum est contra, reo? — c. p. Omnia longe secus. Sumenda principia ad benevolentiam conciliandam. Narrationes aut amputandae quae laedunt, aut relinquendae, si totae sunt molestae; firmamenta ad fidem posita aut per se diluenda, aut obscuranda, aut degressionibus obruenda; perorationes ad misericordiam conferendae ».

Ex quibus facile evincitur accusationem ad laedendum adversarium, validis confirmationibus apto ordine inter se coniunctis esse redigendam: defensionis vero ad reum erigendum, elevandis perfringendisque firma confutatione adversis argumentis. Genus autem deliberationum, quod saepe est in suacione positum, ad finem orationis refert reprehensionem, ut in illa Maniliana oratione deprehenditur. Tamen si nonnullis sententiis contrariis obruatur orator, tum prius ad dissuasionem descendendum quam ad suacionem venimus; quare vel a reprehensione est incipiendum, vel omnino perpetuo cursu in ea commorandum; cuius rei Tullius egregium in

altera Catilinaria exemplum praebuit. Ut igitur haec omnia paucis absolvamus, primum locum tenet confutatio quae dissuadere contendit, postrem autem quae accusare conatur.

* * *

Vidimus hue usque quae ad confutationem instituendam conferunt. Quotuplex tandem illa sit, quod quinto in loco tractandum sumpsimus, evolvemus. Quoniam autem, teste Fabio (1), « neque... ex aliis locis ratio argumentorum in hac parte (refutatione) peti potest quam in confirmatione, nec locorum aut sententiarum aut verborum et figurarum alia conditio est; » restat ut eadem sint confirmandi formae, quam confutandi.

Confirmatio vero est, auctore Tullio, (2) « per quam argumentando nostrae causae fidem et auctoritatem et firmamentum adiungit oratio ». (3) Omnis autem argumentatio aut per inductionem tractanda est, aut per ratiocinationem. Has duas partes dilucide definiemus eisque, ut rationes argumentandi perspiciamus, exempla subiiciemus.

De inductione sic Cicero in opere de inventione rhetorica: (4) « Inductio est oratio, quae rebus non dubiis captat assensionem eius quicum instituta est: quibus assensionibus facit, ut illi dubia quaedam res propter similitudinem earum rerum, quibus assensit probetur: velut apud Socraticum Aeschinem (perpetuum Socratis comitem) demonstrat Socrates, cum Xenophontis uxore, et cum ipso Xenophonte Aspasiam (Milesiam nobilem sophistam) locutam: Dic mihi, quaequo, Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, utrum illius, an tuum malis? Illius inquit. Quod si vester et ceterum ornatum muliebrem pretii maioris habeat, quam tu habes, tuumne an illius malis? Illius vero respondit. Age, inquit, si virum illa meliorem habeat, quam tu habes, utrumne tuum an illius malis?

Hic mulier erubuit. Aspasia autem cum ipso Xenophonte sermonem instituit. — Quaeso, inquit, Xenophon, si vicinus tuus equum meliorem habeat, quam tuus est, tuum ne equum malis an illius? - Illius inquit. - Quid si fundum meliorem habeat, quam tu habes, utrum tandem fundum habere malis? - Illum, inquit, meliorem scilicet. - Quid si uxorem meliorem habeat quam tu habes, utrum illius malis? Atque hic Xenophon quoque ipse tacuit. Post Aspasia: — Quoniam uteque vestrum, inquit, id mihi solum non respondit, quod ego solum audire volueram, egomet dicam, quid uteque cogitet. Nam et tu mulier optimum virum mavis habere, et tu Xenophon, uxorem habere lectissimam maxime vis. Quare nisi hoc perficeritis, ut neque vir melior, neque femina lector in terris sit, profecto id semper, quod optimum putabitis esse, multo maxime requiretis, ut et tu maritus sis quam optimae, et haec quam optimo viro nupta sit. Hie quum rebus non dubiis esset as-

(1) *Instit. orator.* lib. XI, cap. I. — (2) Lib. III, cap. XVII. — (3) Lib. V, cap. XIII. — (4) *Ds part. orator. dialog.* cap. IV et V.

(1) Lib. V, cap. XIII. — (2) *Ie invent. rhetor.* lib. I, cap. XXIV. — (3) Item, cap. XXXI. — (4) *Ds invent. rhetor.*, lib. I, cap. XXXI.

sensum factum est propter similitudinem ut etiam illud, quod dubium videbatur, si quis separatim quaereret, id pro certo propter rationem rogandi concederetur ».

Nunc deinceps ratiocinationem perpendamus (1). Ratiocinationem, ita placet Tullio definire, orationem ex ipsa re probabile aliquid elicientem, quod expositum, et per se cognitum sua se vi et ratione confirmet ». Formae autem ratiocinandi omnium frequentissimae quinque sunt: syllogismus, epicherema, enthymema, dilemma et sorites; quae quidem omnes ad syllogismum revocantur. Nec est necesse argumentationes esse apertas, sed contra saepe eadem in oratione delitescunt. Ita Cicero in oratione pro Deiotaro: « En crimen, en causa cur regem fugitivus, dominum servus accuset ». Haec vehemens et acris argumentatio tres in partes facile resolvetur hoc modo: Sine causa non debet dominum servus accusare; hic medicus est servus Deiotari et falso crimine, ut ostendam, eum accusat; iniuria igitur dominum accusat Philippus.

Quarum argumentationum haec nobis ratiocinandi postrema commodior ad concionandum videtur. (2) Nam quemadmodum illud superius genus argumentandi, quod per inductionem sumitur, maxime Socrates et Socratis tractaverunt, sic hoc quod per ratiocinationem expolitur, summe est ab Aristotele, atque a Peripateticis, et Theophrasto (3) frequentatum: deinde a rhetoribus iis, qui elegantissimi atque artificiosimi putati sunt».

De reprehensione haec quidem habui dicenda. Quae si cui minus nobis apta videntur, vehementer errat. Saepe enim in concessionibus deprehendimus quasdam adhiberi argumentationes, quae etsi nobis deficere videntur, undenam sit vitium dignoscendum ignoramus. Praeterea quis dubitet quantum catholicorum intersit, non modo fidem nostram firmissime tenere, sed eam etiam strenue tueri? Quoties, ubique versemur, sermo nobis est cum plurimis viris errore imbutis conferendus? Tum autem quis poterit omnia quae nobis obiici possunt praevidere? Narrat Quinetilianus: « Alticem (quemdam) interrogatum cur causas non ageret, quum apud eum in tragediis tanta vis esset optime respondendi, hanc reddidisse rationem, quod illic ea dicerentur, quae ipse vellet, in foro dicturi adversarii essent, quae minime vellet ». Quae quidem excusatio virum catholicum minime decet. Quare magis magisque fidei argumenta perpendamus, ut nostra doctrina omnium verissima, quasi hasta in manu collocata, adversarios vincere possumus.

Verulæ, in Hispania.

E. QUERA.

(1) *De inv. rhet.* I, 1, cap. XXXIV. — (2) Item, lib. I, cap. XXXV. — (3) Is philosophus ob sermonis suavitatem, quasi divina tantum loquens, Theophrastus est ab Aristotele appellatus, quum prius Tyttamus dicetur.

DISPUTATIONES PHILOSOPHICAE

MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM

De iudicio pratico penitus inquiritur: seu de iudicio consilii et de iudicio executionis.

MODERNISTA. — Ea quae ultimo inter nos, amice carissime, disputata fuere, (1) non semel mecum mente revolu: plura mihi perspecta prorsus sunt, quaedam obscura, ut verum fatear, remanent.

Ista tamen ex dicendis sane clarebunt; imo, ut opus fuerit, explananda tibi aliquando proponam.

Id imprimis a te audire velim quid addendum censes de iudicio pratico, cui tu tantum, in actibus liberis, tribuere videris.

THOMISTA. — Evidem promptissimus sum qui tibi patet faciam omnia, etsi brevius, quae intelligenda necessario sunt de tanti momenti arguento. Quae si probe intelligentur, nubila sponte sua evanescent.

Hoc præ primis notandum, cum Angelico Doctore meo, quem et tuum esse velim, iudicium practicum bifariam, nempe in iudicium examinis et iudicium electionis dividi.

En ipsam verba Angelici, quae fideliter exscripta hue tibi afferro: « Iudicium conscientiae et liberi arbitrii quantum ad aliquid differunt, et quantum ad aliiquid convenient. Convenient enim quantum ad hoc quod utrumque est de particulari actu..., et differunt quia iudicium conscientiae consistit in pura cognitione, iudicium vero liberi arbitrii in applicatione cognitionis ad effectuonem: quod quidem iudicium est iudicium electionis. Et ideo contingit quandoque quod iudicium liberi arbitrii pervertitur, non autem conscientiae: sicut quum aliquis examinat aliquid quod imminet faciendum, et iudicat quasi adhuc speculando per principia hoc esse malum, utpote fornicari cum hac muliere: sed quando incipit applicare ad agendum, occurunt undique circumstantiae ad ipsum actum, utpote fornicationis delectatio, ex cuius concupiscentia ligatur ratio, ne eius dictamen in eius electionem prorumpat.

« Et sic aliquis errat in eligendo et non in conscientia, sed contra conscientiam facit, et dicitur hoc mala conscientia facere, in quantum factum conscientiae non concordat. Et sic patet quod non oportet conscientiam esse idem quod liberum arbitrium ». (2).

Iudicium ergo practicum duo iudicia infert: iudicium, inquam, examinis, quod est aliqua speculatio de bonitate vel malitia rei agendae, et consistit in pura cognitione; et iudicium electionis seu executionis, quod consistit in applicatione ad agendum. Haud secus in tribunalibus humanis duplex datur passim sententia: una qua declaratur res disputata esse unius partis, de qua multum utrinque contenditur, appellatur, etc.; alia autem quae dicitur mandatum executivum, et qua res

(1) Cfr. sup. num. IV, V.

(2) *Verit.*, 9, 17, a. 1, 4^m.

domino proprio de facto restituitur, et iudicium executioni mandatur.

M. — Quae distinctio sane gravioris momenti mihi videtur, et quidem perspicuitatis eximiae, etsi postea de eadem te interrogare amplius habeam in consilio.

Priusquam tamén ulterius progrediatur oratio, rescire velim quid sit illud a te praemissum, nempe hominem non posse in sensu composito et amare amore efficaci honestatem, et contra eamdem simul agere. Quid sibi velit illa dicendi ratio, quae apud nonnullos, nisi fallar, male audit, a te explanari cupio.

T. — Petitioni tuae, duce Angelico, quam libentissime faciam satis, amice carissime, dummodo discursus taedio non afficiaris. Quae sane quaestio, ubi recte et absque praiejudicio intelligatur, viam ad omnes quasi de libertate difficultates solvendas late aperit.

Apud omnes philosophos in confesso est iudicium rationis practicum esse obiective indifferens, ut supra diximus, seu obiectum proponere cum indifferenta, ubi non sit ultimum: ubi vero erit ultimum in linea propria, tum ratio ipsa nonnullam rationem determinationis inveniet, ex qua unum prae ceteris eliget et se ipsam determinabit.

Quod tamen iudicium ultimum erit reapse liberum, eo quod necessariam connexionem cum voluntate per se non inferat, ita ut omnes retineant, et quidem recte, hominem qui eligit, et quidem in eligendo, posse in oppositum transire spectata natura tum rationis humanae rebus dominantis, tum voluntatis nulli bono particulari adligatae.

Quod ceterum ubique fieri experientia patet. Homo quippe dum vult scit se ipsum posse non velle; dum hoc vult, posse aliud velle, et de facto passim in voluntate sua nedum mobilem esse, sed et moveri.

Sed ulterius procedendum, et quaerendum qua ratione homo eligens possit contrarium simul eligere, quare, inquam, ille qui eligit sedere, simul stare possit, vel qui stat potuerit iterum sedere; quare et quomodo res alba possit esse nigra.

Vix credibile quantas de hac quaestione naenias cernerint homines, non modici quidem ingenii, sed praiejudiciis abrepti, propter fluentes ex solutione consequentias.

Si steterimus exemplis familiaribus adductis, reponet quisque illum qui sedet simul non posse actu sedere, seu rem albam simul nigram esse non posse, quia sessio excludit stationem actualem, albedo nigredinem: unde illa simul componi nequeunt, quum unum sit alterius negatio. Attamen addet ex suo sensu communis illum qui sedet posse alias seu postmodum sedere, id quod est album fieri postea nigrum: unde divisim existere poterunt.

En totam quaestionem de sensu composito et de sensu diviso, apud scholasticos veteres usitatam communiter; en sensum effati evidentissimi, nempe illum qui sedet non posse stare potentia simultatis, ita ut simul et se-

dere et stare valeat; sed posse stare simultate potentiae, quia ubi ad actum reducit potentiam sedendi, non amittit potentiam alias standi. Seu, si mavis, sensus compositus componit cum actu aut non actum, aut actum oppositum, ut si quis contendat sedentem stare simul posse; sensus vero divisus dividit actum a non actu, aut ab actu opposito, non autem a potentia ad actum, ita ut qui sedet, etsi non possit componere sessionem cum statione, possit tamen sedere quum standi potentiam non amittat.

Mirum semper visum mihi est hanc doctrinam non patere omnibus, nisi forsan sit ex iis doctrinis una quae oculo viciniores sunt quam quae, teste Augustino, videri facilius possint.

Quo clarius ista in argumento nostro pateant, adverte quae ad « velle » requiruntur, duplicitis esse generis: alia videlicet requiruntur ad « velle » simpliciter et absolute, atque omnem libertatis usum antecedunt, et haec sunt potentiae intellectus et voluntatis, et operationes tum ex parte intellectus, videlicet apprehensio boni in ratione obiecti absolute; tum ex parte voluntatis, nempe amor boni. In hisce omnibus potentia simultatis datur, quia in intellectu diversae concipiuntur formae boni, quae in voluntate varios appetitus boni causare possunt. Voluntas inde non determinatur in suo velle, sicut ratio non determinatur in suo concipere: imo voluntas, quum necessario rationem habeat comitem, pro vario rationis iudicio pratico elicere potest actus ad varia obiecta.

Alia vero sunt necessaria ad actum voluntatis liberum, sine quibus voluntas sese non determinabit ad unum oppositorum prae alio eligendum, et tamen non antecedunt omnem libertatis usum, quia v. gr. voluntas movere potest intellectum ad examinandam et pensandam obiecti bonitatem, imo subministrabit motiva diversa iudicandi unum esse hic et nunc melius, aliud minus bonum.

Quod iudicium ultimum decernens unum esse hic et nunc bonum prae ceteris eligendum, constare seu componi simul nequit cum iudicio opposito dictante illud idem esse hic et nunc dimittendum ut malum, quia unum excludit aliud, et aliunde voluntas malum ut malum, seu sub ratione mali prosequi non possit. Unde hic nulla erit libertas in sensu composito, seu potentia simultatis.

Sed tamen poterit quisque reiicere vel negligere iudicium illud, ad alios fines et rationes attendere, etiam ex voluntate et passionum instinctu, aliudque iudicium efformare, unde et alia voluntas exsurgat in oppositum, hincque habebitur libertas in sensu diviso, seu simultas potentiae.

Ex quibus colliges, amice carissime, hoc corollarium maximi momenti tum in philosophicis tum in theologicis, nempe ad libertatem non requiri necessario facultatem componendi, sed sufficere etiam facultatem dividendi.

(*Ad proximum numerum*). I. I. B.

HORAE SUBSECIVAE

ARISTAEUS⁽¹⁾

Ille ego Aristaeus, pastorum apiumque voluptas,
Ingens silvarum gloria, ruris honos;
Dives eram centumque meis examina in hortis
Mella novo nuper dulcia vere dabant.
Hic narcissus erat, vaccinia nigra, papaver,
Hic rosa ridenti, hic ore hyacinthus erat.
Hic calthae et violae molles, hic alba ligustra,
Fundebatque suas hic amaranthus opes.
Non tulit id livor, macies cui conficit ora,
Quique super fraudes nectere tristis amat.
Non tulit: huc illuc torvus sed lumina torquet,
Spumanti tales cum daret ore sonos:
Certe ego iamdudum lacrimis haud vescor amaris,
Iamdudum partes deseruique meas.
Mene pati turmas apium per inane volare?
Sic sine fraude queunt carpere ruris opes?
I, livor, suffunde atris alvearia succis,
I, livoris erunt sola tropaea crux.
Vix ea, cum furibundus abit non passibus aequis,
Et parat agminibus funera, Hymette, tuis.
Invide, quidnam agis, o livor? quae crimina tentas?
Ah! ne tange meas, invide, livor, apes!
Non aures adhibet precibus, sed perficit audax
Infandum heu dextra deteriore nefas!
Inficit hac illac letali alvearia viro,
Quaeque dabat virus, funera dextra dabat.
Mox tabemque luemque struit sub limina prima,
Depictoque legit flore dolosus humum.
Post haec indignis tumefactus pectora coepit
Flagitii in terram proicit arma sui.
Invide, quidnam agis, o livor? quae crimina tentas?
Ah! ne tange meas, invide livor, apes!
Hora est: vicinis redeunt examina campis,
Cerne age ut incedant sub duce quaeque suo.
Si sapis, o blandas alio dux dirige turmas,
Flecte procul cursum, si sapis, inde, tuum.
At nulla est apium mens ingeniumque profecto
Agminibus, quamvis ingeniosa vocent.
Cerea nam incautae subeunt dum tecta catervae,
Sensere aspersas illico peste domos.

(1) Aristaei sub nomine apium internectionem deflentis typorum licentia allegorice describitur.

Invide, quidnam agis, o livor? quae crimina tentas?
Ah! ne tange meas, invide livor, apes!
Continuo potus succis exercitus atris
Ardet et inde foras, qua data porta, ruit.
Itque phalanx passim, multo per inane susurro:
Quam sua iurasses murmurata queri!
Pars et humi vitam, pars aere linquit aperto,
Diversa inveniunt clade sepulcra pari.
Altera iam moriens animam profundit in herba,
Altera sub croce mortua flore latet.
Invide, vicisti, o livor; iam parce parare
Crimina, inulta iacent agmina nostra solo.

MARCUS GALDI.

II.

MOOREANI CARMINIS

"THE LAST ROSE OF SUMMER."

ADUMBRATIO

Aestiva haec Rosa fulget,
Nitens integra;
Marcket dum speciosum
Rosarum decus:
Flos iam non reperitur
Rubens sentibus,
Nec plangens zephyrorum
Citus motibus.
Ast non te male, Pulchra,
Sinam confici,
Quum quidquid speciosum'st
Diu concidit;
Sed spargens foliorum
Manu copiam
Te condam sociis cum
Tuis leniter.
Sic fiat mihi quando
Comes carior
Nullus permanet: tum
Sequar insimul!
Omnis egregius quem
Amans decidit,
Quis, quaeso, quis erit qui
Velit vivere?

G. CLEARY.

Stili lapidarii elementa⁽¹⁾

I. — DE INSCRIPTIONIBUS SACRIS.

Classem hanc duas in partes distribuit Morcellius, quarum prima titulos Diis positos, altera sacrorum monumenta complectitur.

Titulos Diis positos vocamus, qui aut templum, aramve dedicatain, aut vota suscepta, reddita, aut donum aliquod datum, consecratumve cum aliqua cultus Deorum significatione declarat. En simplicis dictionis exempla :

Supra templum in praedio aedificatum :

VESTAE SACRVM
ANTISTITI
PRAEDIORVM
HELVIDIANORVM

Antistes Praediorum idem est ac praeses, sive custos, ut apud Quinctilianum : *Iuris Antistes Servius Supplicius.*

SECVRITATI . AVG.

SACRVM

DECVRION . POPVLVS . QVE . COLONIAE
PRAENESTIN.

Securitatem veteres quasi Deam venerantes mulieris habitu repreäsentabant hastam fere dextera gestantem, sinistro autem cubitu sic arae innixam, ut genam palma sustentaret. Eadem quasi Augusti virtus, *Augusta* aut *Augusti* dicta est, quod eum publicae securitatis auctorem putarent. Additur Decurionum seu Patrum nomen: erant enim Decuriones, ut in codice appellantur, Patres civitatum. Inscriptionem non esse Tiberio recentiorem patet ex eo quod Praeneste Colonia nominetur. Praenestini enim a Tiberio consequuti sunt, ut ex colonia in Municipii statum redigerentur.

CAELO . AETERNO

ATILIA . COMPSE

ET . ATILIA . VICTORIA

GRATIAS

Caelus Deus appellari hic videtur quem fabularis historia filium Aetheris, et Diei fecit. *Gratias* hoc est, ut grati animi monumentum sit.

IOVI . O . M.

M . FLAVIVS

THREPTUS

EX . VISV . P.

Ridiculum sane illud *ex visu*, hoc est ex visu Deorum in somnio: cui similia *ex monitu*, *ex imperio*, *ex oraculo*, *ex iusso Numinis*. *ex visu*, *ex monitu Dei*. Quidquid enim facerent, fecisse videri voluerunt imperio Deorum, Dearumque, ex praecepto Deorum, ex iusu Numinis, *ex visu*, *ex monitu Dei*.

(1) Cfr. sup. num. V.

IVNONIBVS
AVG . SACR.
METELLA . IDE . NOMINE
SVO . ET
T . FLAVI . HERMETIS
VIRI . SVI
D. D.

Iunones Augustae sunt Deae tutelares uxoris, sororis, filiarum Caesaris Augusti; nam id foeminis *Iuno*, quod viris *Genius*. - *D. D.* donum dedit.

Quod sequitur exemplum est dictionis ornatae :

IMP . CAESAR . DIVI . F.
AVGVSTVS
PONTIFEX . MAXIMVS
IMP . XII . COS . XI . TRI . POT . XIV
AEGYPTO . IN . POTESTATEM
POPVL . ROMANI , REDACTA
SOLI . DONVM . DEDIT

Aegyptiorum superstitionem sequutus videtur Augustus cum obeliscos Soli dedicavit. Id enim et Nuncoreus fecerat Sesostridis Filius. - *Tri. Pot.* Tribuniciam potestatem designat: Princeps enim non Tribuni munus, quod plebeio conveniebat, assumpsit, sed tribuniciam potestatem, qua se praestitit sacrosanctum.

Habes nunc dictionis singularis exempla :

ANNIA . ZOSIMA
VOTVM
LVCERNAM

Lucernis veteres usi sunt non domi solum et ad sepulera, sed etiam in templis.

DEO . FVLGVRATORI
ARA

Fulgura aliquando pro fulminibus; hinc Iupiter Fulgorator.

L . FL . HERMADION
HOC . MIHI . LIBENS
DON . DEDIT

Mithras est qui loquitur fabulosus ille Persarum Deus, cuius sacris Romani quoque initiantur. Hoc enim usitatum apud veteres, ut inscriptiones in prima persona conciperentur, quasi donarium ipsum, vel simulaerum loqueretur.

QVINCTILLAE
L . HERVTII
DONVM
VENERI

Quinctillae vir fuit Lucius Herutius.

Nunc altera pars huius primae classis addenda esset, id est sacrorum monumenta, in quibus narratur ritus rerum sacrarum, quaecumque eae sunt, vel eorum ordo memoriae proditur: sed eam brevitatis causa omittimus, lectorem monentes, ut de his Morecellium consulat.

Tacere tamen non possumus quin sacrarum Christianae religionis inscriptionum specimina referamus.

(Ad proximum numerum).

A MEXICO AD ANGLIAM

A Mexico ad Angliam non breve certo iter; quod tamen hisce postremis diebus citissimo mentis cursu non pauci explevimus, oppositos qui age-



Mexico urbis prospectus.

bantur eventus ex diariis recolentes: illic enim civile bellum perducitur ut, praeside toties electo et confirmato ad munus abdicandum coacto, novus infiriae rei publicae sufficiatur; hic sollemnibus feriis solidissimum quod nunc habetur in orbe imperium, civium omnium participatione et consensu, regem coronando validius confirmetur.

Haec quidem vel obiter consideranti, non parvi momenti neque ipsas maestitia vacuas erga latinas Americae gentes cogitationes succurrunt, quae tamen praeterimus, de locis in quibus illa gesta sunt heic unice attingentes.

Mexicum urbs quasi centrum amoenissimae vallis altis montibus cinctae constituit, ubi ante an. MDXXI oppidum extabat Tenvehtitlan, Anahuac imperii caput, quod Indi exstruxerant, positis palationibus in lacu, pluribus incilibus interfuso. Regio enim lacibus abundat, quorum sex ex campanariis urbis turribus conspicuntur solis radiis rutilantes, at civitatem simul minitantes una cum magnis vulcanis Popocatepetl atque Itzaccihuatt, qui ad circulum orbem definientem assurgunt. Ferdinandus Cortez, Indicis profligatis, Tenvehtitlan oppidum solo aequavit; deinde, canalibus ipsoque lacu adsiccatis, nova urbs condi coepta cum cathedralibus suis aedibus, quarum angularis, quem

dicunt, lapis eo loco an. MDLXXXIII positus est, ubi quondam Aztecorum fanum erat, ab Ibericis destructum.

Novum hoc templum sumptuosissimum factum est ex marmore. In longitudinem metr. centum et quadraginta patet; turres in altitudinem septuaginta: in eo Iberici legatorum, vices regum fungentium, ipsiusque Augustini Iturbide, primi Mexicanorum imperatoris, exuviae compositae sunt, praesertim circa maius altare, quod totius orbis ditissimum putatur, licet variis occasionibus plures thesauri ablati inde atque aversi sint.

Notabiles quoque magnitudo sua aedes, quas nationales nuncupant in «foro maiore» abhinc saecula duo et ultra posita, ubi musea, publica officia et gubernii sedes. In eodem palatio breve sui regni vitam una cum Carolina uxore vixit Maximilianus, infelix ea victima chimaeric somnii Gallici illius Napoleonis nomine tertii, qui.... At ne revertamur in aegritudinem; Londinum urbem exultantem petamus.

Westmonasteriensis abbatia, in qua Georgius, Anglorum Caesar ordine V, corona die elapsi



Mexico urbis cathedral templum (Prospectus exterior).


mensis XXII est redimitus summique imperii signa formaliter accepit, tamquam simplex «prioratus» circa annum DCIV, a Seberto, Saxonum rege, constituta, et ab Offa an. DCCLXXXV erecta, a Gulielmo, cui Domitoris cognomen, tamquam locus regibus

coronandis addicta est. Henricus VIII in cathedralem evexit, eiusque vicinia civitatis titulo cohonestavit, quamquam episcopalibus sedes circa an. MDL suppressa est, decemque post annos Elisabeth in collegiale ecclesiam convertit.

Templum Gothorum stilum praesefert venustrum, symmetrum, elegantem, ad occidentem versus praesertim. Sed eius attrahendi vim non in architectura tantum atque in artis praeclaris operibus per templum passim diffusis plerique inveniunt, sed ex divino quodam afflato undique ex tot illustrium Anglorum memoria manante, qui illic diem resurrectionis exspectant. En oculus herma rapitur, sub qua patriam inscriptionem legit: *O rare Ben Johnson!* Huic proximum monumentum est Miltonii illius poetae nobilissimi; supraque, magnum numisma ex marmore Gray imaginem refert, qui suaviter recinere campestrem cupressum iterum iterumque videtur. Ibique etiam nomina leguntur virorum, quos culti homines per universum orbem veneratione pro-

sequuntur: Dryden, Southey, Campbell, Thompson, Macaulay, Thackeray, Garrick, Grose, Sheridan, Dickens...

O locum! quo nullus profecto dignior quam ut



Wesmonasteriensis Abbatiae ala, sepulcra Anglorum poetarum continens.

fortissimi gravissimique populi gloria et potentia in ipso celebretur.

F.

COLLOQUIA LATINA⁽¹⁾

Ascensus.

VINCENTIUS. — Iamne erumpere hoc licet mihi gaudium? Nunc pulchre, nunc bene est Vincentio; circumfluo laetitiis profecto! Quis me uno vivit hodie felicior? Quis fortunatior?

TIMOTHEUS. — Quid est quod sic gestis? Quae-nam nova insolitaque voluptas?

V. — O Timothee, optima opportunitate advenisti. Hic me amoenitate amoena amoenus onerauit dies, maximas opimitates opiparasque obtulit mihi: laudem, lucrum, ludum, iocum, festivitates, ferias.

T. — Qui tandem, Vincenti? Aut qualis est ista fortuna, qua te fortunatissimum hodie evasisse gloriaris? Mihi enim consequutus quidpiam videris, quod et diu expetiveris et semper admiratus sis.

V. — Rem acu. Publicum et a magistro et iis qui statis definitisque temporibus discipulorum progressus tentant - (examinatores vccamus) - sedulitatis et doctrinae auferre testimonium, quaero, numerarene debeam in bonis?

T. — Ac summis quidem atque amplissimis. Quantum coniicio, gradum studiorum altiore ascendisti.

V. — Ascendi vero; quod mihi, parentibus familiæque nostræ felix faustumque eveniat.

T. — Gratulor tibi honorem istum ex animo, et tua caussa ego quoque incedo laetitia. Quotus eras?

V. — Non ausim dicere, ne tu arrogantius quam verius id a me dici interpretêre.

T. — Audacter enuntia; nam mihi suspicione mendacii aut ambitionis movere non potes.

V. — Tertius fui.

T. — Quot tecum ascenderunt?

V. — Unde quadraginta.

T. — Non leve argumentum eruditioinis, inter

(1) Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit I. F.

tot tam prope ad primam palmam accessisse! Quis vester signifer et coryphaeus erat?

V. — Longinulus ille noster.

T. — Secundus?

V. — Frustra nominem, quandoquidem non nosti.

T. — Praestans ingenium sortitus est ille adolescentulus.

V. — Praestantissimum. Stupore complebat praefectos examini; ita prompte ac recte respondebat ad quae sita singula; afficiebaturque ab iisdem summis laudibus. Quoties me illius loco esse optabam! Quod si quid veritatis haberet, quam superioribus diebus magister narrabat invexisse Pythagoram metempsychosim, illius pueri animam cum ingenio suo et probitate in meum corpus vellem immigrare. Ceterum anno vertente primas nulli cessero. Et quoniam amat victoria curam, non est mihi consilium pati per socordiam vires, tempus et ingenium defluere: legendo, scriptitando, ediscendo etiam aliquid noctis assumam. Aliquando videlicet multum ingeniosos a studiosis superatos et vidimus et accepimus. Quid multa? Enitar summa ope me praestare ceteris omnibus.

T. — At illud sectatoribus litterarum apprime cavendum duco: « Ne quid nimis ».

V. — Si periculum impendere sensero, moderabor cupiditati.

T. — Arbitror parentes tuos exspectare huius felicitatis tuae felicem nuntium.

V. — Hinc domum recta proprio. Domesticos enim omnes laetitiam ingentem mea gloria agitaturam divinat animus... Et praemia dabunt laeta nuncianti!... Vale.

T. — Vale; sed quid ais?

V. — Quid vis?

T. — Nempe otium a litteris est hodie?

V. — Fugit te ratio. Madidusne an siccus es, qui istuc me interroges?

T. — Tamen nihil obest.

EX ITALIS URBIBUS

De ludis gymniciis Augustae Taurinorum.

Grais delecta iuventus

Gymnasiis aderit, studioque ignava palaestrae.

LUCANUS.

Quod olim celebri Lucanus dixerat

Carmine, laudans Graiorum fortitudinem,
Relatam gloriam in ludis Olympiae,
Foret, lectores, repetendum penitus.
Enim sic patriam defensuri alacres
Prius ferebant palmas in certamine,
Dein laturi fortiter cum Perside.
Erant Augustae Taurinorum proxime

Alit quot iuvenes colit Italia, Datur specimen palaestrae gymnatis.

Adest et parva Parisiorum phalanx,

Adest Lugduni cum Gratianopoli,

Amice certant de virtute corporis

Alacritate, gratiaeque motibus,

Laeti cum nostris, nulla sed invidia.

Adest et tenax Helvetiorum cohors,

Suas qui virtutes exprimunt en oculis.

Habent suam cuncti musicam cum tympanis,

Suosque Belgae miserant et filios,

Gerunt virtutem nam parentum fulgidam,

Ut olim Caesar pugnavisse tradidit.

En adsunt tandem iuvenes Italiae!

Incedunt primi Taurinenses alacres,

Longos qui passi sunt labores impigri

Suorum patrum dum virtutem celebrant.

Movent ut arte, currunt ut composite,

Per urbem nobilem, quam laudare sentiunt,

Ferentes gloriam securi, taciti!

En Urbs Pontificis narrat quae Maximi

Ampli Alexandri cognomento tertii,

Cum Fridericum pressit, fusis copiis,

Palea tunc tecta, defensa vi civium,

Nunc copiosa abundat rebus et opibus.

Queis sed feram Mediolanum laudibus,

Quod omnes misit dissitis ex urbibus,

Eam provinciae nominant quae caput?

Ut acres, fortes, fulgidoque lumine,

In urbe incedunt magna Taurinensium!

Suos ferre ut videntur in certamine.

Manus quae circum plausus et voces volant,

Gradus et laudent, laudent exercitia!

En Brixiae fortes adsunt iuvenculi,

Ferunt qui matris in vultu imaginem!

Cremona insignis aemulatur atavos.

Verona, Dantis celebris hospitio,

Sua arce pellit hostes ex Italia.

Superbos mittunt iuvenes exercitos

Labore duro remotae Venetiae.

Adest iuventus et Florentiae decus,

Pisarum, Lucae, Mutinae, Bononiae,

Et ipsa Roma dicitur quae gentium

Caput, ne desit culmen inter Italos.

Suis parati magnis exercitiis

Adsunt Neapoli nati et Siciliae,

Ferentes magnum decus in praecordiis

Mori simul pati pulchre pro patria.

Ad hoc et agmen puellarum pulchrius

Meo quas perperam misit iudicio

Magistra gentium leviter Lutetia,

Misit Lugdunum! Taurinensium gravitas

Tulit quod aegre, signat quod silentio!

Puellas laudo clausas inter moenia

Bonas procurat artes quae domesticas,

Sub ipsa matris lege cum custodia,

In agro Martis, dicitur qui veteris,
Erat planities lata nuperius.
Heic palaestram municipium condidit,
Ubi tot iuvenum certabunt millia,
Agant et omnes libere ex ingenio.
Loco nomen datum latine *Stadium*.
Illuc se laetantes certatim conferunt.
At at ferunt universi dum ad sidera
Cives et advenas certantes in agmine,
Et omnes omnium virtutem celebrant,
Adest quae nullis exoptatur precibus,
Quin imo totis propulsata viribus,
Una spes omnes quae fefellit omnium.
Fuit nam cunctis deprecata pluvia
In ipso magna palaestrae initio!
Novum tunc certamen, signum sollertiae.
Venis dum pluviae vis magna caelitus,
Volant et iuvenes confuse longius,
Turbantur omnes ordines de subito.
Vero certamen? primum differtur, postea
Frequentis causa pluviae dissolvitur!
Dolor qui invenum, civium et hospitum!
Res pulera initio quam tristis exitu!....

SUBALPINUS.

ACTA PONTIFICIA

Litterae Apostolicae ad Pontificii Instituti Biblici praesidem et doctores de studiorum cursu in eodem Instituto confirmando ac provehendo.

Dilecti Filii, salutem ed apostolicam benedictionem. — Iucunda sane ad recolendum Pontificii Instituti Biblici cum primordia, tum incrementa. Vix enim providentia Nostra conditum, divino munere beneficioque, ita auctu pene quotidiano celerique adolevit, ut opus pene umbratile angustique circumscriptum finibus, celebritate refertissimum omnique eruditionis ac doctrinis adiumento egregie instructum studiorum biblicorum domicilium brevi effectum sit. Hinc etiam feliciter factum ut frequentiae delectorum undique adolescentium qui Romam conveniunt « divinorum eloquiorum scientia singulares evasuri » impares iam priores aedes effectae, Apostolicae Sedis cura, ampliores commodioresque fuerint attributae. Parem vero celebrantium numero sese probare conspicimus laetabilium fructuum copiam, quam omnium vestrum ingenium ac navitas auditorumque diligentia hucusque peperere. Quae quidem initia atque incrementa, auspicia rerum secunda, et praestantissimo Dei auxilio tribuimus, et vobis omnibus, Dilecti Filii, quorum perspecta Nobis est doctrinae sollertiaeque laus, ex animo gratulamur.

Providentiae vero Nostrae, hunc etiam volumus esse fructum, nova quaedam legum statuta quibus

exhibendorum quotannis doctrinae speciminum ratio multo salubrior eveniat. Perspicuum quippe est quantum sollemnibus huiusmodi experimentis insit momenti ad accendum in magistris, in discipulis, hinc docendi, inde addiscendi ardorem, et ad quae-sitas utilitates ex optimis paelectionibus proniore alveo derivandas.

Volumus igitur in primis ut Instituti Nostri alumni atque auditores, ad unum omnes, singulis annis ordinariae doctrinae pericula facere teneantur. Vix enim est qui ignoret longe facilius inde exploratum iri in moderatoribus quidem alumnum et auditorum quisque ex emenso studiorum cursu perceperit fructus, alumnis vero atque auditoribus, cui ferendo oneri eorum valeant humeri, et num edita hactenus diligentia acrioribus in posterum indigeat incitamentis.

Quo vero largiora ex periculis huiusmodi comoda proveniant, ordinarius studiorum cursus in Instituto tria doctrinae specimina, extremo quoque anno edenda, complectetur. Horum primum ad ea sese extendet doctrinae capita, quibus scientiae biblicae libamenta ac philologicae institutiones continentur, quaeque argumenta fere paebebunt rerum primo anno tradendarum.

Alterum in iis versabitur rerum momentis, quibus, secundo anno, auditoribus atque alumnis plenior suppetet sacrae doctrinae haustus: tractationem, dicimus, disciplinarum quae in subsidium sunt graviorum studiorum, et praesertim alicuius sacri textus partis interpretationem. Horum ope compertum fiat num alumni atque auditores ii sint qui valeant, cum spe felicis exitus, integrum absolvere studiorum cursum atque optatam tandem contingere metam.

Exacto demum tertio anno, postremo experimen-to, quod interpretationem alterius partis sacri textus ac res ultimo hoc anno traditas complectetur, alumnorum atque auditorum doctrina ita periclitabitur, ut liquido appareat eosdem animum biblicis disciplinis satis excoluisse, et pares se probare proposito assequendo quod Instituto in litteris Apostolicis « Vinea electa » praestituimus.

Quo denique omnibus ac praesertim ecclesiasticis superioribus, de studiorum curriculo ab alumnis atque auditoribus in Istituto peracto, de periclitata cum laude doctrina, authenticum praestos sit documentum, id quoque decernimus, ut, scilicet, Instituti praeses, rite suffragantibus doctoribus singulis disciplinis tradendis, alumnis atque auditoribus de comprobata experimento doctrina testimoniales litteras tradat, in forma diplomatis exarandas, quarum tamen argumentum, seu oratio, erit iudicio Nostro rata habenda.

Auspex divinorum munerum Nostraeque benevolentiae testis Apostolica sit Benedictio quam vo-

bis, Dilecti Filii, iisque omnibus qui ductu et auspicio vestro ad optima studia nituntur, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxii Martii MCMXI, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Indicis.

Per decretum huius S. Congregationis d. vi mens. Iunii MCMXI in Indicem librorum prohibitorum relata sunt opera quae sequuntur:

Der Modernisteneid. Ein Appel an deutsche Priester von Clericus Germanicus. Augsburg 1910.

Dr. W. KOCH und Dr. O. WECKER, *Religiös-wissenschaftliche Vorträge Dritte Reihe: Katholizismus und Christentum.* 1. u. 2. Aufl. Rottenburg 1910.

AUGUST HUMBERT, *Les origines de la Théologie moderne — I. La Renaissance de l'antiquité chrétienne (1450-1521).* Paris 1910.

OTTOKAR PROHASZKA, *Az intellektualizmus tühlj tásai.* Budapest 1910.

— *Több békessiget* (in *Egyházy Közlöny*, Dec. 1910).
— *Modern Katholizismus.* Budapest 1907.

Ex Congregatione S. Officii (*Sectio de Indulgentiis*).

De Indulgentia, quam vocant PORTIUNCULAE.

EE. ac RR. DD. Cardinales Inquisitores Generales in plenario conventu habitu feria iv die 24 mens. Maii MCMXI, generali Decreto, usque ad novam dispositionem valituro, de Indulgencia, quam vocant Portiunculae haec statuenda censuerunt:

I. — Omnes et singulae tam pro fidelibus in saeculo viventibus quam propriis communitatibus antea a S. Sede factae et iam nunc expiratae vel in posterum expiraturae de Portiunculae Indulgencia concessiones prorogatae habeantur sine die, firmis, quoad cetera, clausulis et conditionibus praecedentis Indulti, habita que ratione, quoad utile sacris visitationibus peragendis tempus, novissimi huius eiusdem Supremae Sacrae Congregationis Decreti diei xxvi Ianuarii anni currentis (1).

II. — Quod ad novas concessiones tam pro fidelibus in saeculo viventibus quam pro piis communitatibus providendum pariter sine die committitur respectivis Ordinariis cum facultatibus necessariis et opportunis, salvis tamen clausulis et conditionibus *Motu Proprio* diei xi Iunii anni elapsi praescriptis (2).

(1) Cfr. *Vox Urbis* an. xiv, num. v, pag. 75.

(2) Cfr. *Vox Urbis* an. xiii, num. vii, pag. 108.

III. — Itidem, demum, respectivis Ordinariis prorogatur sine die facultas, praefato *Motu Proprio* superiore anno eisdem concessa, statuendi ad supradictam Indulgentiam lucrandam, loco diei secundae Augusti, Dominicam proxime insequentem, servatis clausulis et conditionibus ibidem appositis.

Ex Congregatione Rituum.

Dubia circa organi sonitum ad adiuvandum cantum Gregorianum et formulam Benedictionis Apostolicae impertienda in fine concionum.

I. — An hodiernus usus cantum Gregorianum adiuvandi organis sustineri possit? — *Resp.* Affirmative, exceptis tantummodo iis Officiorum ac Missarum partibus, quae, iuxta liturgicas nunc vigentes leges, sine comitantibus organis debeant penitus decantari.

II. — Quatenus affirmative, an etiam in Officiis et Missis, in quibus sonus organi prohibetur, liceat organum adhibere solummodo ad associandum et sustinendum cantum, silentio organo quum silet cantus? — *Resp.* Affirmative in casu necessitatis.

III. — Quibusdam in Brevibus, quibus fit sacerdotibus potestas, in fine concionum, benedictionem cum Indulgentiae plenariae favore, populo impertiendi, editetur id fieri debere cum Crucifixo, iuxta ritum formulamque praescriptam; nunc quaeritur quinam sint hi ritus et formula adhibendi? — *Resp.* Unicum signum crucis cum Crucifixo, adhibita formula: « Benedictio Dei Omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos, et maneat semper ». R. Amen.

(Ex decr. d. xi mens. Maii MCMXI).

De editionibus librorum Sacram Liturgiam spectantium.

I. — Editiones librorum Sacram Liturgiam spectantium, sive Ritus et Preces in Sacris Functionibus per agendis contineant, sive Sacras Caeremonias supradictos Ritus Precesque comitantes praescribant, sive S. Rituum Congregationis decreta in unum collecta referant, sunt vel *typicae*, vel iuxta *typicas*.

II. — Editiones *typicae* excudere tantum possunt vel Pontifica Typographia Vaticana, vel alii Typographi Pontificii, qui a S. Rituum Congregatione veniam obtinuerint.

III. — Singula editionis *typicae* folia revisioni S. Rituum Congregationis submittentur, quae seu Commissionis Liturgicae, seu Commissionis de Musica et Cantu Sacro, iuxta opportunitatem, sententiam exquiret.

IV. — Quaevis *typica* editio approbationis referet decretum, talem editionem esse *typicam* declarans, simulque omnibus editoribus praescribens, ut praedictae editioni *typicae* futuras editiones omnino conforment.

V. — Editores, aliqua editione *typica* completa, duo exemplaria S. Rituum Congregationi tradant, in archivio ipsius S. Congregationis maxima cura et studio conservanda.

VI. — Quivis typographus, accidente consensu et approbatione respectivi Ordinarii, editiones *iuxta typicas*, quae nempe adamussim praedictis editionibus typicis respondeant, excudere potest.

VII. — Revmi. locorum Ordinarii, diligent rerumque liturgicarum perito constituto revisore, qui videat an praefatae editiones plane cum typicis concordent, talem concordantiam declarent et *imprimatur* apponant.

VIII. — Quoad editiones Missarum aut Officiorum alicuius dioecesis propriorum, de quibus editio typica non exstat, si in ipsa dioecesi cundenda sint, revmi. locorum Ordinarii concordantiam cum originalibus declarant et *imprimatur* apponant. Quoad vero editiones Propriorum tum alienae dioecesis, tum Ordinum Regulare seu Congregationum, revmi. locorum Ordinarii, quorum iurisdictioni typographi subiacent, *imprimatur* apponant, postquam vel Ordinarius dioecesis, vel Superior Ordinis seu Congregationis, ad quos praedicta Officia seu Propria pertinent, de harum editionum concordantia cum originalibus a S. Rituum Congregatione approbatis Rescriptum, quod pariter edendum est, sibi remiserint.

IX. — Inter libros Sacram spectantes Liturgiam, ad effectum praesentis decreti, sequentes praecipue adnumerandi sunt:

- | | |
|------------------------------|--------------------|
| a) Breviarium Romanum | corumque excerpta. |
| b) Missale Romanum | |
| c) Rituale Romanum | |
| d) Pontificale Romanum | |
| e) Martyrologium Romanum. | |
| f) Caeremoniale Episcoporum. | |

g) Propria tum Officiorum, tum Missarum alicuius dioecesis, Ordinis, seu Congregationis Religiosae.

h) Memoriale Rituum Benedicti Papae XIII pro minoribus Ecclesiis.

i) Instructio Clementina pro expositione SSmi. Sacramenti.

j) Collectio decretorum S. Rituum Congregationis.
(Ex deer. d. xvii mens. Maii MCMXI).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Iunio MCMXI).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneric gratia Pontifice de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Bernardus Blumenst hill, Comes; De Leiningen, Comes; Marcus Borghese, Princeps Urbanus, eiusque familia; Boncompagni, Princeps de Plumbino; Otho De Ritter de Gruenstein, dynasta, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate Bavarii regni apud Apostolicam Sedem; Xystus e Principibus Borbone-Parma, cuius sorori Isabellae Pontifex Confirmationis Sacramentum administrat;

Ioannes Schönburg-Hartenstein, legatus extraordinarius cum omni potestate Austrorum Hungarorumque apud Apostolicam Sedem eiusque uxor; Philippus Lancellotti, Princeps Urbanus.

Pontificiae electiones.

— Emus. et Rmus. vir Franciscus de Paula Card. Cassetta, Episcopus Sabinorum, S. Congregationis Studiorum, loco Purpurati Patris Beniamini Cavicchioni, vita functi, Praefectus renunciatur.

— Emus. et Rmus. vir Benedictus Card. Lorenzelli « Protector » dicitur Pontificiae Academiae Theologicae.

— Exemus. vir Ianuarius Granito Pignatelli de Belmonte, archiepiscopus Edessen., Pontificiae extraordinariae legationi praeficitur, quae sollemibns coronationis Georgii V, Anglorum regis intersit.

— Rr. pp. Philippus Maroto e Congregatione Filiorum Immaculati Cordis Mariae, et Antonius Velardi e Congregatione Missionariorum Pretiosi Sanguinis D. N. I. C. inter Iudices seu Consultores S. Congregationis Concilii refulrunt.

— R. p. d. Ioannes Garigliano, vicarius generalis Aquilanus, episcopus Nuscan., et r. p. d. Michael O' Doherty, rector collegii Hibernici in urbe Salamanca, episcopus nuper erectae dioecesis Zamboangen. in insulis Philippinis nominantur.

Varia.

— Die II mensis Iunii SS. D. N. Pius PP. X septuagesimum sextum aetatis annum fauste ac feliciter explet.

— d. xxvi ab Emo. Dno. Raphaele Merry Del Val, Cardinali a Secretis Status, Sacrarumque Apostolicarum aedium Praefecto, Pontifici offertur exemplar numismatis in memoriam octavi anni Pontificatus eius, his diebus cusi. Ab uno latere SSmi imago exstat; ab altero vero Astronomiae figura cum inscriptione: AMPLIOREM. IN . HORTIS . VAT . MIHI . SEDEM . ADORNAVIT. — Pontifex enim speculatoriam Vaticanam turrim novis recens instrumentis munificentissime ditavit, ad sidera photographice exprimenda.

ANNALES

Mauritanae res.

Mauritanae res primas adhuc in civilibus totius orbis eventibus tenent, quamquam in melius proxima tempestate verterunt. Moinier enim, Gallicus chiliarca, bene concepta excursione, licet non sine aliqua suorum clade, Mequinez urbe tandem potitus est, rebellionis centro, Mulai-Zin spe capiundi Mauritanie imperii sic frustratus; dum Toutee, militum praefectus, non interrupto itinere Muluae territorium omne submittit. Restant equidem nonnullae tribus in armis, sed verisimile videtur fore ut brevi et ipsae frangantur, ita ut reliquum id unum sit Gallis, per aliquod tempus excubare, donec favillae quae sub cineribus ali possint, extinctae prorsus fuerint.

Tacere nolumus Hispaniam inter et Galliam difficultates, per diaria praecipue, fuisse etiam agitatas, accusantibus Gallis quod Hispani, suis pro-

gressionibus ad Tetuan urbem, Algesirensis foedus violarent.

Discremen vero facile sotpum, apertis Canalejas administri verbis ad publici coetus legatos habitis, factas expeditiones eo tantum tendere, ut Hispanica negotia, intenta satis, tutarentur, nedum cuiusquam finium explicationis desiderium affectarent.

A banensis sedatio.

Albanensis, contra, sedatio acris perducitur; quum ex improviso nunciatur Turcarum imperator ad Balkanos montes esse profectus, ut non tam auctoritate sua, quam clementia rebelles populos vinceret. Visum est enim ei - ita saltem dictitant - si ipse amplissimae veniae et quarundam concessio- num, de patriis iuribus praesertim, nuntius fieret, futurum ut Albanenses, quorum pars maxima bona fide et patria caritate indubie ad decertandum movetur, ab armis recederent. Quidquid fuerit, certe Malissores cum Turcarum cohortibus adhuc pugnant, Albanenses ex lio multati in patriam terram non redeunt, et, quod gravius est, Albanensium proceres plerique obsequii sui in testimonium Caesarem consalutare renuunt. Suntne haec diffidentiae signa? Sunt despectionis, firmaeque voluntatis optatum finem per vim consequendi? Eventus qui futuri erunt indicabunt.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Austria** nova comitia in detrimentum factio- nis quae « Christianorum socialium » vulgo appellatur, concesserunt. Inde profecto Bienertsi adminis- trorum praesidis eiusque collegarum a munib- ribus suis abdicatio.

In **Belgica**, administratorum collegio a munere re- cedente ob scholarum legis reformatio- nes acriter impugnatas, novum suffectum, praeside Bracque- ville, iam ferriviarum regimini praefecto.

In **Borussia** optimatum coetus legem ratam ha- buit, qua cadavera creandi facultas singulis ci- vibus conceditur.

In **Bulgaria** publici coetus sessiones resumptae.

In **Gallia** Monis eiusque collegae ab adminis- trorum munere recesserunt. Caillaux novo collegio praepositus.

In **Graecia** « constituentis » coetus laboribus ab- solutis, « legiferi » coetus sessiones inchoatae.

In **Hispania** vectigal quod « consumptionis » vulgo dicitur abolitum, novaeque expensae pro exercitu atque classi inductae.

In **Italia** lex monopolium civitatis constituens circa vitam parsimonia defendendam vehementer disceptatur.

In **Lusitania** « constituentis » coetus congregatus, qui regis eiusque gentis exilium sanxit et popu- larem gubernii formam.

PER ORBEM

Die I mens. Iunii MCMXI Garros aviator, Lutetia Parisiorum profectus, Romam et ipse feliciter ap- pellit.

— d. II, Bonearensi in urbe, Petri Mascagni musicum opus, cui titulus *Isabeau*, magno plausu primum agitur.

— d. III Frey aviator Galliae ex urbe capite tertius Romam per aërem pervenit.

— d. IV, Romae, monumentum Victorio Emma- nueli II regi, Italorum collata stipe erectum, sol- lemnier dicatur.

— d. VIII Raimundus Marra, Romanus aviator, non longe ab Urbano aërodromo dum experimenta agit, improviso ventis impetu aequilibritate amissa, in terram deiicitur et vita misere privatur.

— d. X Romae novum ad gymnicos ludos sta- dium aperitur.

— d. XII Frey ille, quem aéronavi sua Parisiis profectum Romam petiisse supra diximus, iter hinc ad Augustam Taurinorum pertantans, ad Ciminos montes nebulis circumdatus, in silvis implicatur ac tam gravia vulnera patitur, ut ad mortem prope adducatur.

— d. XIII exuviae Italorum ducum Lamar- mora et Montevicchio, qui an. MDCCCLV Italicae le- gioni praeerant Gallis auxilium ferenti in Taurica Chersoneso, ibique occubuerunt, Sebastopoli ubi reconditae fuerant effossae, patriae restituuntur.

— d. XVII Bague, Gallicus aviator, Nicaeam ad Varum profectus, in mari deperditur, nullaque deinceps de eo notitia haberi potest.

— d. XVIII novae aéronauticorum victimae lu- gentur Lamartin, Sandron et Princeteau, tribunus militum.

— d. XIX atrae procellae Cathelaunios campos, Pontum Euxinum, Italicamque regionem Tarvisi- nam pessundant.

— d. XX incendium in Be'gica abbatia *de la Chambre* exortum, museo rerum et scriptorum inibi existanti graviter officit.

— d. XXII adstantibus universi orbis legatis, in Westmonasteriensi abbatia ad Londinum, Geor-

gius V eiusque uxor Anglii imperii reges sollemni ritu coronantur.

— d. xxiv Madriti Eucharistici conventus « internationalis » initium fit, praeside Purpurato Patre Gregorio Maria Aguirre y Garcia, archiepiscopo Toletano et Indiarum Occidentalium Patriarcha, a Pontifice ad hoc munus specialiter delegato.

— d. xxv Moncalieri in oppido ad Augustam Taurinorum, quo iamdiu recesserat, sanctissime, uti vixit, quiescit in Domino, Clothildes e Sabaudica gente, Victorii Emanuelis II, Italiae regis, filia, Hieronymi Napoleonis Bonaparte principis viuda. Nata erat Augustae Taurinorum die II mens. Martii MDCCCXLIII.

— d. xxvi Copenaghen, in Danorum urbe capite, sextum supra septuagesimum aetatis annum agens, vita fungitur Bergsæ doctor, scriptor apud suos valde celebratus.

— d. xxvii Valparaiso ex urbe nunciant, vehementissimi turbinis vi, Cilensis reipubblicae litora vastata esse, magna cum incolarum et lacrimabili caede.

IOCI

Princeps artis canendi studiosus et Procurator eius.

— Vidistine heri molossum a me nuper emptum ?
— Quidni? illo vigilias agente, te a furibus tutum in posterum fore, equidem censeo.

— Undenam id tam cito cognovisti ?

— Meo periculo, non alieno: in me enim aedes tuas ingressurum tanto impetu, quum fremeret, invasit, ut aegre a cruribus prohibuerim fuste non semel in caput incusso opeque f'ii tui natu minimi, a quo tandem absterritus est et catenis devinctus.

— Ergo canis meus narium sagacitate me longissime praestat.

— Voce non item, quae ipsi gravis est persimilis tuae; itaque sive baubetur molossus per aedes sive Princeps canat, duo haec, auribus audientium idem sonare, nullo discrimine, videntur.

* *

Hircanus senex de via inclamabat praetereuntibus, ut coeco sibi pauperrimo aliquid stipis largirentur. Puellus, qui eum perductabat, interrogatus quam pridem homo miserrimus lumina amisisset, sic, rem, uti se haberet, aperuit: - « Annus est, quum avus hic meus quotidie capit oculis, a mane nimirum adultiore ad horam tertiam a meridie. Haec autem calamitas interdum eo productior est, quo frequentiores incolae et advenae obeunt urbem, di bus praesertim nudinariis ».

* *

Tatius convenit Berillum, cui dixit se pecuniam mutuam flagitare; si infecta re coactus esset redire, nihil reliqui fore, nisi ut mortem sibi consiceret. Berillus, qui haud ita quaestuoso munere fungeretur, orantem ab se diuisit conceptissimis hisce verbis: - « Si prastero quod petis, idem mihi supererit agendum ».

TITUS CURZIUS.

SOCIIS ET LECTORIBUS MONITUM

Uti in superiore numero IV ediximus, apud Moderatorum nostrum venales depositae sunt aliquot *numismatum collectiones*, eorum scilicet quae, gesta Romanorum Pontificum referentia, quotannis in festo Apostolorum Petri et Pauli cudi solent.

Huiusmodi sunt numismata aenea omnia de Leone XIII et Pio X; argentea numismata pariter omnia de Pio X, et ab anno XIII ad XXVI inclusive de pontificatu Leonis XIII.

Sunt insuper de Pio IX, Leone XIII et Pio X plura alia, ad unum vel ad alium eorum Pontificatus annum spectantia.

Occasio praebetur nedum rara, unica si quis aliquod vel omnia emere cupiat.

AENIGMATA

I.

Assolet anterior semper deposcere causas;

Utilis atque alter, vel lutulentus, erit.

Si caput inde mibi, lector, tu demere velles,

Exoritur facies horrida quadrupedis.

Denique si dira et segni cruciare podagra.

Nequidquam tentes; non tibi totus erit.

II.

Graeci me elipeum; colubrum dixere Latini.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorum JOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus :

HERMANN KRUSEKOPF

QUAESTIONES SOPHOCLEAE.

Aenigmata an. XIV, n. IV proposita his respondent:

1) Malum ; 2) Fucus

Ea rite soluta miserunt:

I. M. Meunier, Corbiniaco. — A. Renevey, Estavayer-les-Lac. — Ioan. Biava, Bergomo. — Petrus Tergestinus. — Alb. Kain, Dublino. — Alb. Perraud, Lutetia Parisiorum. — R. Richi, Traianopolis. — F. Ortiz, Motilla. — Alb. Catteau, Lugduno. — A. Bounin, Aureliano. — Hern. Forgeot, Nicæa ad Varum. — F. Guerra, Aletio. — F. Arnori; St. Pini, Mediolano. — Ad. Kozlowski, Petricovia. — Iac. Menendez, Madrito. — F. X. M., Drapano. — Fr. Xav. Ghion, Ostunio. — Paulinus a S. Iosepho, Barcinone. — Rich. Müller, Berolino. — Eug. Ricci, Florentia. — St. Lowinski, Zerkow. — F. Correa, Emerita. — I. Martins, Philadelphia. — F. Ciolfi, Papia. — Rich. Brondel, Brugis. — F. Wawer, Marianopoli. — Georg. Archambeault, Quebeco. — P. Prado, Venetiis. — Lud. Dubois, Massilia. — Frid. Horwath, Vindobona. — Lud. Goux, Bituricis. — Vinc. Starace; Alex. Pintauro, Neapol. — Barth. Ferraris, Augusta Taurinorum. — Iac. Costa, Dumio. — Eug. Dolmar, Neo-Eboraco.

Sortitus est praemium:

PETRUS PRADO,

ad quem missum est opus, cui titulus:

IOANNIS STROPPA

INSCRIPTIONES.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Editricis Romanae.

EUPLIUS

(8)

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

MAXIMUS.

Eiusque subitum a nobis aufugium,
Rumorque libros tradidisse publice,
Pavorem mittet in Christianos. Satanus
Haud posset ipse melius hos perdere.
Quae trepidatio fiat! Quae confusio!
Duos viros sume, vel tres, vel amplius,
Quos necessarios credis facinori!
Ferat hic litteras, Volusium terreat
Ille, ne disturbet nostras insidias.
Erit si molestus; venenum, g'adius
Potest nos liberos perfecte reddere.

CALVIANUS.

Eamus hinc intro, ne cui suspicio
Sit nostrum! Recte nosti, quantum reprobos
Vulgi nos aestimat turpis opinio!
Sed admodum falso! (ironice).

MAXIMUS.

Sic te Dii sospitent!
Ipsi nos caelestes servent incolumes (ironice dicentes,
introeuntes).

SCENA III.

CYRUS, qui exit ex insidiis.

CYRUS

Ad tempus cepi, perfidi, vos denique!
Sint actae gratiae Deo quam maxima,
Viros qui perdet perditos hos merito!
Quot verba infaciunt! quotque fallacias!
Et ille vultu, lepidis qui moribus,
Praefectus Urbis, et mendacii puteus.
Curnam Volusium punire quaerant?
Et Euplium nostrum virtute praeditum?
Eorum virtus generat fastidium,
Ut fumus saepius lacrimas elicit.
At vos, qui vultis Euplium perdere,
Volusium mille perfidis artibus,
Perdam velocior, vel tantillus puer!
Quid ergo primum? Prius sine cogitem! (pausat
secum ipse cogitans).

Ita, recte, probe! Rem patri aperiam,
Eius requiram validum consilium,
Et mox cuniculis vertam cuniculos (exit).

SCENA IV.

OCRIS

Mox rem commisit perquam difficilem
Ille molossicus, virgarum flagitium,
Vocant quem Maximum, vocarem minimum!
« Dabis bina, dixit, Euplio vulnera, (imitatur vocem
Maximi).
« Docet qui doctrinam, mendacem, perfidam,
« Et voluntati Caesaris contraria.
« Fac prorsus vulnus siet ut mortiferum;
« Eumque multis percussum volneribus
« Compones conditum citius in foveam!
« Tibique praemium dabo propositum.

Mihi quid autem mali fecit Euplius?

Si vafer est ille, ego sum vaferimus.
In foveam cades, perverse, tu, prius.
Egonam dico Ocris, praeceps praecipitum,
Fui si ipsem mortis causa sociis.
Viribus polleo, nervis et artibus....
At nunc cur Euplium mactare deboeo?
Quis est? Mihi quid egit? Mihin? Nil, puto!
Eis? Quis scit? Illatas ipsis iniurias
Meo cur infe to gladio vindicem?
Multis sic usque, servitutem servio,
Et praeter propter aegram sie vitam traham...
Misellus invideo vitam cellarii.
Magis cellarius quam macellarius!
Viderem potius vinum quam sanguinem....
Placet quidem bonum, magis si esset optimum,
Quod heri plurimis in cellis conditur.
Nulloque perperam dilutum flumine.
Scelus, falernum iugulare, maximum.
Hoc namque inuri vitio profiteor.
Quid hic moror? Miser! non audet nunc Ocris
Novum sua crimen manu committere!
Ad haec, si tandem liberer periculo,
Daturum, Bache! promitto sacrificium.
Quod? Libabo binas vel ternas testulas,
Quas, adiuvante te, furabor herulo.
At ostium crepuit... Hinc recto fugiam! (exit)

SCENA V.

FELIX deinde OCRIS rursus (¹).

Audisse videor loquentem ante ostium,
Vix exeo, disparuit! Quis sit? Nescio.
At, at, fugientem cerno virum longius...
Sistit, me spenit manibus, currit iterum...
Vade, vade! in... Non dicam crucem amplius;
Crux ipsa venit salus nempe saeculo!
Iuvabit illum vocare nunc denuo.
Stat, respicit, videt... Vocabo gestibus...
Veni, tibi dabo.... (²) Novi nunc hominem,
Solet qui vino semper ingurgitarier.
Meus iecit puer timorem maximum,
Duos audisse colloqui cum diceret
Hic ante ostium minantes in Euplium.
Quis autem scit an ipse cuncta resciat! (³)
Tun'es? Quo vadis, magna virgarum seges?

OCRIS.

Malis ita verbis sic me tu suscipis?

FELIX.

Nec amplius. Paucis te velim. Quid geris?

OCRIS.

Cur ista interrogas? Scis quid concredidit
Nuper ille furcifer pessimus Maximus?

(Ad proximum numerum).

(1) Ingreditur secum ipse loquens et hoc et illuc circumspicit.

(2) Signo vinum miscere exprimit.

(3) Ingreditur Ocris.